

D. Tidström ante 14 dies petiit Holmiam, cum post mensem redierit, cum eo agam da Lapidibus.

Cronstedtii librum ego potius judico Swabii opus esse, licet Cronstedtius amanuensis vices gesserit.

Quas habeo ad manus Lapponicas e desideratis mitto, reliquas curabo urbi redditus.

Africana ista est Phyllica radiata.

Nunc laetor quotidie intueri minimam Sibthorpiam, quam alo in fenestra, nec prius vivam viderim, et maximis foliis arborem Theobromae affinem, cujus flos est singularis omnino.

Accepi nuper Schreberi pulcherrimas tabulas 14 Graminum, et Burmanni filii Floram indicam.

Intra 8^{diu}m e prelo prodibit meus tertius systematis tomus de Lapidibus, qui constat tantum 14 philyris.

Hisce vale.

E Praedio meo Upsaliae 1768, d. 23. Julii.

Scopolia egregie fructum perfecit in horto meo. Cimicifuga, quae mihi periit, iterum hoc anno germinavit, floruit etiam Messerschmidia, et Crassulae species, unico individuo, omnium minima, seminibus aristatis.

Peloria mea constantissima fuit per 10 annos, ne unico flore in naturalem mutato; dat semina et tentabo num germinent, et si hoc num similes flores producant filiae.

Non est Gladiolus spicatus meus, nec speciem novi.
